



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illustrissimo Viro D. D. Lud. De Bailleul In Supremo
Senatu Præsidi Infulato, De illius in Victorinam Domum
secessu**

Santeul, Jean de

[S.l.], 1685

[Text]

urn:nbn:de:hbz:466:1-13502

ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.
LUD. DE BAILLEUL
IN SUPREMO SENATU
PRÆSIDI INFULATO,

De illius in Victorinam Domum secessu.

QUIS novus hic nostras splendor se fundit in
ardes?

Collucet domus omnis, & hospite læta superbo
Visa mihi solito major; tua, MAXIME PRÆSES,
Nescia nocte premi, tandem caligine pulsa
Lux oritur, lux illa nitet quâ cuncta serenas,
Nosque adeo imprimis, dum nostris sedibus hospes
Succedis bonus, & meliora in fata reponis.
Per te se agnoscit, per te sibi conscia famæ
Nostra domus, per te & titulis majoribus aucta,
Ipsa suum decus & prisceos meditatur honores.
Sic vbi post longas hiemes, & frigora brumæ,
Accepto interiùs tellus fœcunda calore
Promittit densam segetem: de nube serena
Si radios fœtis tandem sol exerat arvis,
Spes oritur, redit agricola, incœptosque labores
Ipse recognoscit: nec jam minùs illa tepenti

Sole suo gaudens, maturi ad luminis ignes
 Laxat læta sinus, Phœboque occurrit amanti;
 Tunc suus excultis se se decor explicat agris.

Est prope Parisios longo spectabilis ævo,
 Sacra domus, sancti quondam domus hospita Veri.
 Illa in secessu primùm distabat ab vrbe,
 Paulatim admotis jam nunc contermina muris.
 Hanc Franci Reges, Francorum è stirpe vetusta,
 Regifico sumptu, & magnarum more domorum
 Fundavêre, alii quam ditavêre tot amplis
 Muneribus, Regum præclara exempla secuti.
 Has habitare Deo sacras magis omnibus ædes
 Heroi placuit: magni dux optima cœpti
 Relligio fuit, huic comites Pietasque, Fidesque,
 Castus Amor recti, & mentis sincera Voluptas.
 Contra obnixa, ferox, & vano turgida fastu,
 Quà posset placidis intrantem avertere tectis,
 Ambitio, memorabat avos, memorabat avitas
 Virtutes, titulos, tot grandia nomina patrum,
 Tempora dinumerans, longoque ex ordine texens
 Armatam in bello gentemque in pace togatam,
 Et galeas, clypeosque, & scuta, & tympana, & enses,
 Exuvias belli ingentes: simul illa notabat
 Fulgentes trabeas, fasces, sellasque curules,
 Stemmatâque & Themidis præclara insignia, lances.

3

Nec minus, utque tua te totus imagine pascas,
Te tibi monstrabat, tua late ingentia facta,
Illam illam imprimis, quam devincire merendo
Tot populos gaudes, quam Regem, omnemque Senatum:
Illam ipsam probitatem animi toto ore sonabat;
Quin etiam illa novos Nati ostentabat honores,
Haud dubia auguria & magnæ præludia fortis.

His super addebat tua celsa palatia quondam,
Auratasque trabes, necnon laquearia picta,
Totque tuæ ornamenta domus, Phrygiosque tapetas,
Aurea vasa, cavo pendentes fornice lychnos,
Sed frustra: tibi, BALLIOLI, stat fixa voluntas,
Quippe interruptis, animi tranquilla per alta,
Secessu in placido præfers casta otia curis,
Et strepitu procul urbis, & illætabilis aulæ,
Lætus amas nostris succedere sedibus hospes.
Sic Numa cum leges quondam præscriberet urbi,
Quærebat nemorum loca sola, ubi valle profunda
Indigetis nymphæ meliori numine plenus
Dictaret Latiae servanda oracula genti.
Acrior hinc mentis vigor, hinc & purior ignis,
Terrenæ nil molis habens, terrisque relictis
Cunctarum observat prima exemplaria rerum,
Hæc tua fors, alios ludicra & flaxa moerentur.
Tu Veri puros latices, tu casta fluentia

4

Plena Deo securus adis, tu lumine puro
Pasceris, æthereis semper tu in fontibus hauris,
Quas spargis latè populis sitientibus vndas.
Ut speculi cavus orbis, ad alti lumina solis,
Undique diffusos in se se colligit ignes,
Quos dein in terras majori ardore rependat.
Nec tibi sat prodesse aliis, descendis ab alto
Interdum Themidis folio, tibi redderis ipsi,
Tecum habitas, celsa primus tu mentis in arce
Ipse tui iudex, morum censorque tuorum
Integer in fontem gaudes componere vitam.
Sicque adeo temet solito furare labori,
Nil vt curarum decedat, quas tibi debes,
Quasque Deo; sic mentem vnã partiris in omnes.
Surgis in exemplum Patribus, propiusque tuentes
Aut ardent imitari, aut non imitabile laudant
Nos molli interea quotquot meditamur in vmbra,
Suspiciamus tantos animi cum pace labores.
Ac velut extremo dudum ex Oriente profecta
Fessa ratis, quærit placidos irrumperè portus,
Quando agit excubias, puppi si rector ab alta
Observet positos summis sub turribus ignes,
Frustra obstante mari, frustra obluctantibus austris,
Advolat, & laxis in littora fertur habenis.

